

sacramenta, solum in genere signi ponuntur. At vero character, cum sit res et sacramentum, non habet principaliter rationem signi seu sacramenti, sed rationem rei, quæ simul est sacramentum seu signum. Unde non est in genere signi, sed in genere rei, quæ habet esse signum; sicut signa naturalia non sunt essentialiter in genere signi, sed accidentaliter, quia fundant talem relationem.

XXVII. Sic character essentialiter non est in genere signi, sed in genere rei, cui convenit formalitas illa signi, et fundat illam. Si enim poneretur in genere signi, esset sacramentum tantum, si quidem esset in genere sacramenti, seu signi; nunc autem cum non sit sacramentum tantum, neque essentialiter est in genere signi, sed accidentaliter, tamquam signum naturale. Et dicimus naturale, prout distinguitur contra signum ex impositione, non autem quia sit aliquid distinctum contra supernaturale. Ex supernaturali enim derivatione a sacerdotio Christi habet esse signum. Igitur non potest character pro formali importare relationem signi, sicut sacramentum importat pro formali relationem signi, quia genus characteris non est signum, sicut sacramenti, cum character non sit sacramentum tantum, ac adeo non habeat pro genere essentiali relationem signi; sed est res, cui convenit esse signum et sacramentum simul.

XXVIII. Supposito ergo quod character non est ens rationis, nec pro materiali, nec pro formali essentiali, restat ostendere quodnam ens reale sit, an relativum, vel absolutum. Et dicimus, quod character non est sola relatio realis, ut Scotus dixit, sed aliquid absolutum, fundans tamen relationem. Etenim quantumcumque ponatur relatio extrinsecus adveniens, tamen si

habet naturam relationis de prædicamento ad aliquid, quia videlicet totum esse ejus est ad aliud se habere, oportet quod in aliquo fundamento proximo fundetur. Item oportet, quod ad illam immediate non sit motus, seu actio, nec ipsa sit principium alicujus actionis, quæ omnia characteri repugnant.

XXIX. Quod ergo hæc omnia inveniri debeant in relatione, sive extrinsecus, sive intrinsecus adveniente probatur, quia relatio illa, vel habet essentialiter relationis, seu est relatio secundum esse pertinens ad quartum prædicamentum; vel non habet essentialiter relationis, nec pertinet ad quartum prædicamentum. Si non habet essentialiter relationis; ergo est aliquid absolutum, et non relativum; et sic character erit in genere absolutorum, etiamsi transcendentem relationem dicat: si autem habet essentialiter relationis, et est relativum secundum esse; ergo debet sequi naturam relationis secundum esse, et ita debet habere aliquod fundamentum, sicut habet omnis relatio prædicamentalis, quæ secundum philosophum fundatur vel in actione et passione, vel in unitate, vel in mensura.

XXX. Et sic oportet assignare in quo fundetur character, si tantum est in genere relationis. Cum autem fundari non possit immediate in anima, aut potentiis ejus (tum, quia alias conveniret omni animæ; tum, quia character non est ordinis naturalis, sed ex supernaturali Christi sacerdotio provenit; ergo non potest fundari in aliquo naturali) necessario fit, quod oportet aliquid supernaturale poni in anima, in quo fundetur, et hoc erit aliquid absolutum; non sufficit autem gratia, aut fides, vel quilibet alius habitus aut actus supernaturalis, quia isti debiles sunt et amissibiles, non autem character.

XXXI. Rursus: Non potest relatio terminare motum seu actionem, nisi ratione sui fundamenti; cum enim non nascatur relatio nisi ut fundata, impossibile est quod ad ipsam sit motus, nisi tangendo fundamentum, a quo resultat; et ita relatio non potest actione physica immediate produci. Ut enim philosophus dicit in quinto physicorum: « Ad relationem non est per se motus; » ubi totum prædicamentum relationis excludit a motu, cum possit resultare quælibet relatio per mutationem alterius extremi tantum; character autem immediate imprimitur a Deo per veram actionem.

XXXII. Dicere autem quod posito fundamento et termino, aliquando non advenit relatio, nisi per novam actionem, falsum est; nam si ponitur fundamentum proximum et terminus, statim sine nova actione relatio resultat. Exempla autem quæ affert Scotus de unione et loco, etc. tantum procedunt positum fundamento remoto et termino, non autem posito fundamento proximo; fundamentum enim proximum non est extrema ipsa unibilia, sed convenientia, seu unitas talium extremorum; qua posita, sine nova actione resultat relatio unionis: non ergo dantur tales relationes extrinsecus advenientes, præter fundamentum proximum et terminum.

XXXIII. Denique, relatio secundum esse, et quæ est de natura quarti prædicamenti, non potest esse principium alicujus actionis. Relatio enim cum sit purus respectus ad terminum, non potest esse activa; alioquin relatio posset esse causa, et habere effectum; et consequenter non se haberet ut purus respectus ad terminum, sed ut causa ad effectum, fundaretque relationem causæ, sicque supra relationem fundaretur relatio; character autem principium est aliquarum actionum, ut

patet in characteris ordinis, per quem potest aliquis agere sacramentalem effectum, quem ante non poterat; sacramentalis autem effectus realis effectus est: ergo ad illum non sufficit relatio tamquam causa; et sic character non est relatio.

XXXIV. Oportet ergo quod genus ejus sit aliquid absolutum; et cum sit quid accidentale spirituale, non tamquam actio aut passio, sed ut principium operandi aut patien- di; ideo neque est substantia, neque quantitas, aut aliquid quod quantitatem concernit, ut situs, habitus, ubi, etc. neque actio et passio, fit consequens quod debeat habere pro genere qualitatem. In qua autem specie qualitatis, sequenti controversia disputabitur.

XXXV. Ex his autem inferimus, characterem non se habere ut modum, et sola formalis distinctione differre ab anima, sed realiter tamquam res a re. Nam character ponitur in genere qualitatis tamquam principium activum vel passivum alicujus actionis; et quod sit reductive in genere potentiae, non est quia non sit vera qualitas, sed quia non est principalis potentia et principium agendi, sed ministerialis, et propterea non principaliter et per se est potentia, sed reductive; est tamen vera, et per se qualitas. Sicut embryo, licet in genere animalis sit reductive solum, est tamen vera substantia, et verum corpus; qualitas autem, præsertim quæ se habet ut principium agendi, et datur permanentem, non est modus, sed realiter tamquam res a re distincta.

XXXVI. Probabilius ergo apparet, quod character sit realitas distincta a subjecto, cui inest; et in hoc differt a motione sacramentali, quia illa non datur ut principium, sed ut actualis concursus, nec permanentem, sed transeuntem; et ideo non

debet distingui tamquam res a re: character autem, et ut principium datur, et permanenter; et ideo non multiplicamus entitates sine causa, si quidem ut ponatur novum principium, et potentia agendi vel patiendi, causa sufficiens est ut ponatur nova entitas. Melius hoc probatur, quia modus identificatur realitate, cujus est modus; character autem, cum sit quid supernaturale, non potest identificari cum anima, nec cum aliqua realitate naturali; cum supernaturali etiam non, quia sine aliqua alia entitate supernaturali potest remanere character, ut patet in damnatis: ergo non est modus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXVII. Sed contra hæc objicitur primo: Nam character definitur esse signum distinctivum, etc. ergo habet pro genere signum: ergo et relationem; et consequenter ipse etiam character erit in specie relationis, quia non potest habere pro genere aliquid relativum, et pro differentia absolutum.

XXXVIII. Confirmatur, quia omnia quæ de characteribus dicuntur, recte explicantur per relationem, et ad illa omnia sufficit relatio; nam esse distinctivum et configurativum et significativum habet per ordinem ad alterum; ergo consistit in relatione, et per relationem constitui debet quoad omnia ista tria.

XXXIX. Nec sufficit dicere, quod istis relationibus debet subesse aliquid fundamentum, et in eo constet character, tamquam in aliquo absoluto. Hoc inquam non sufficit, nam quælibet relatio hoc habet, quod fundari debet in aliquo absoluto, et tamen non propterea dicitur quod formaliter consistit in illo; sicut similitudo aut paternitas fun-

damentum habent in aliquo absoluto, et tamen in illo non consistit, formaliter loquendo, sed fundamentaliter solum: ergo similiter character, licet fundamentaliter habeat aliquid absolutum, tamen formaliter et essentialiter consistet in relatione, secundum quod est configurativum et distinctivum et significativum.

XL. Respondetur, quod definitio illa, qua character definitur esse signum, non est quidditativa et essentialis, quia character non est pure signum; alias esset sacramentum tantum, si pure esset signum rei sacræ; sed est res et sacramentum; et consequenter non est pure signum, nec ponitur in genere signi, sed in genere rei, ut distinguitur contra signum. Est autem signum secundum quod conjungitur exteriori sacramento, per quod fit visibilis ac sensibilis; in se autem habet significare gratiam et Christum, non quia ejus essentia sit ipsa significatio, sed quia est res fundans illam significationem. Ex se quidem habet rationem principii, significatio vero est illi accidentaliter, et superveniens, sicque significatio non est forma essentialiter constitutiva characteris, sed id in quo fundatur talis significatio; sicut ordo scientiæ, ad scribendum non est forma essentialis constitutiva scientiæ, sed id in quo fundatur talis ordo.

XLI. Et ita habet character esse sacramentum tamquam res, quia est res et sacramentum simul; non tamquam pure signum, et pure sacramentum. Et ideo licet transcendentaliter et fundamentaliter sit ei essentialis ratio signi et sacramenti, formaliter tamen et prædicamentaliter accidentaliter est. Sic ergo non habet character primo et per se rationem signi, sed rationem principii fundantis significationem, et hæc est doctrina S. Thomæ solutione ad quartum, in hoc articulo.

XLII. Ad confirmationem respondetur negando antecedens, nam esse distinctivum et configurativum, etc. licet explicentur per relationem, non tamen sunt ipsa relatio formaliter; sicut etiam per rationale distinguitur homo a bruto, et rationale est distinctivum hominis; non tamen consistit rationale in relatione, sed fundat relationem distinctionis; et similiter exemplatum configuratur exemplari, et imago seu pictura facit configurari alteri, nec tamen exemplatum et pictura sunt relationes. Itaque aliud est distinctio et configuratio, seu assimilatio; aliud configurativum aut distinctivum; illud primum dicit relationem, hoc secundum fundamentum relationis. Forma enim, quæ facit aliquid assimilari alteri, non debet esse relatio ipsa similitudinis, sed id in quo fundatur talis relatio, similitudo enim attenditur secundum convenientiam et communicationem in forma, ut dicit S. Thomas 1 p. quæst. iv, art. iii. Et ideo forma per quam aliquis assimilatur et configuratur alteri, est aliquid absolutum; character autem est forma ipsa in qua aliquis assimilatur et configuratur Christo, non vero est ipsa relatio configurationis.

XLIII. Et ideo recte S. Thomas probat, quod relatio hujus signi, quod est character, debet fundari super aliquid præter essentiam animæ; et hoc erit essentia characteris. Etenim character non significatur ut id, cujus totum esse est ad aliud, sed ut forma, in qua configuratur et distinguitur quis ab alio. Et ideo sicut scientia non consistit in relatione, quia non significat aliquid cujus totum esse est ad aliud, sed quod est perfectio subjecti; sic nec character significatur, ut id cujus totum esse est ad aliud, sed ut forma subjecti quæ sit principium ad aliquid agendum vel recipiendum, et in eo con-

figuratur quis alteri, et distinguitur ab alio.

XLIV. Secundo arguitur argumentis Durandi: Nam character datur ministro, aut fidei, ut deputet eum, aut consecret ad aliquid agendum, vel recipiendum; sed ad hoc non requiritur aliquid reale impressum homini, sed sufficit deputatio extrinseca: ergo. Major certa est, quia character solum constituit aliquem operantem, vel recipientem ministerialiter: ergo tantum habet deputare eum ad illud ministerium. Minor ostenditur, nam in humanis prætor, aut minister qui designatur a rege ad aliquid faciendum, non recipit aliquid impressum intrinsece, sed solam deputationem extrinsecam: item arca vel linteum, quod consecratur ad recipiendum corpus Christi, non recipit aliquid per talem consecrationem: ergo ad agendum vel recipiendum ministerialiter sufficit extrinseca deputatio.

XLV. Confirmatur primo, nam in Christo non ponitur character, qui sit aliquid reale: ergo neque in fidelibus oportet ponere characterem, qui sit aliquid reale. Consequentia patet, quia character noster configurat nos characteri Christi: ergo si in illo non est aliquid reale, neque in nobis.

XLVI. Confirmatur secundo: Ut aliquid sit sacramentum, non requiritur quod habeat a Christo aliquid reale, sed solam impositionem; ergo ut aliquis habeat configurationem Christi, et signum ejus habeat, non requiritur aliquid reale; præsertim cum character sit effectus sacramenti, quod formaliter est aliquid rationis.

XLVII. Quod si dicatur, quod sicut sacramentum, ut sit instrumentum, requirit virtutem a Deo impressam, licet non ut sit signum: sic character in quantum constituit aliquem ut ministrum et instrumentum, est

aliquid reale, licet non in quantum signum assimilans nos Christo, contra, quia virtus quæ imprimitur instrumento est aliquid per modum transeuntis; character autem aliquid permanens: ergo non datur ut virtus instrumentalis, et ut constituat aliquem in ratione instrumenti, cum per characterem nec in actu primo, nec in actu secundo instrumentali sit, quia totum hoc solum ponitur in instrumento transeunter, nec ut reddat hominem capacem ad hoc ut sit instrumentum, cum id habeat per potentiam obedientialem, non per characterem.

XLVIII. Respondetur, deputationem qua Deus deputat ministros suos ad peculiare actiones, longe esse diversam ab ea, qua rex deputat ministrum suum. Deputatio enim regis solum potest esse moralis et extrinseca, non physica et interior: Deus autem sicut amando et diligendo hominem aliquid in illo efficit (scilicet gratiam) sic dando ei ministerium dat illi potentiam et virtutem ad illud; et ideo homines sive in consecratione alicujus, sive in deputatione ministri nihil imprimunt, sicut Deus. Præterea dicitur, quod deputatio moralis, licet fiat per extrinsecam denominationem, deputatio tamen characteristicam, etiam apud homines, fit per aliquid exterius impressum; sicut deputantur oves per characterem aliquem impressum ut agnoscantur, et etiam servi characterizantur per signum aliquod; quod ergo faciunt homines exterius, et fiebat etiam per circumcisionem in lege, facit Deus in anima interius per characterem, quem imprimit.

XLIX. Ad primam confirmationem respondetur, in Christo Domino non esse characterem, sed aliquid caractere excellentius, cui videlicet character configurat nos; et hoc est potestas æterna, et sacer-

dotium sempiternum et supremum, quod habet Christus Dominus, cui nos configuramur, ut S. Thomas ostendit articulo sequent. Sacerdotium autem Christi non est ens rationis, sed excellentissima ejus dignitas, per quam reconciliavit nos Deo. Unde in Christo non debet esse character, qui est configurativus ipsi Christo; sed debet esse dignitas, cui nos configuramur per characterem; sicut etiam in imperatore non debet esse character militaris, qui est in militibus; sed dignitas et potestas, cujus signa deferunt milites.

L. Ad secundam confirmationem negatur consequentia, quia character non est signum, sicut sacramentum, sicut jam dictum est, sed est res, quæ simul est sacramentum, id est, signum sacrum, unde accidentaliter habet rationem signi, et essentialiter rationem rei, quæ est principium agendi, vel patendi; et ideo non per solam impositionem debet constitui, sicut sacramentum, sed per impressionem alicujus realis, quod sit tale principium; unde dicitur signum solum in lata acceptione, quatenus quod configurat alteri, dicitur signum ejus, non quia in sola relatione consistat.

LI. Nec obstat, quod sit effectus sacramenti, nam propterea potius debet esse aliquid reale, quia effectus productus realiter, realis esse debet; sicut gratia est effectus sacramenti, et est aliquid reale. Nec ideo ponimus solum characterem esse aliquid reale, quia est virtus instrumentalis; non enim proprie dat character virtutem et activitatem instrumentalem, ut probat argumentum, et sequenti dubio dicemus, cum præter characterem indigeat minister motione elevante instrumentaliter; sed ponitur character per modum permanentis in anima, quia videlicet per illum habet sibi quasi connaturalem, et debitum

concursum ad effectus sacramentales, qui concursus est motio instrumentalis; et ita sicut rebus naturalibus dantur potentia, quibus utantur ad actus suos, et potentia illi est debitus concursus ad agendum, sic ad sacramentaliter operandum aut recipiendum homines destinantur per aliquid, quo faciunt sibi debitum concursus instrumentalem, et ita operantur, vel recipiunt sacramentales effectus cum volunt.

LII. Cum enim homines constituuntur ut ministri Christi et instrumenta passionis ejus, taliter constituuntur ut cum volunt operentur instrumentaliter tales effectus; et ideo ut suavi modo id fiat, et sit illis debitus concursus instrumentalis, accipiunt aliquid a Christo, quod permanentiter, et per modum potentia se habeat, quantum ad hoc, quod sicut per potentiam res naturales operantur, aut semper, aut quando volunt, quia tali potentia est debitus concursus ut exeat in actum, sic character constituat debitum concursus ad efficiendos, vel recipiendos sacramentales effectus; sed differentia est, quod potentia naturalis constituit debitum concursus, quasi causa principalis; character autem constituit debitum concursus instrumentalem; habet tamen illo operari homo cum voluerit, sicut habet id per potentiam suam naturalem.

LIII. Tertio arguitur: Character est entitas supernaturalis, ergo non ponitur in prædicamento. Consequentia patet, quia supernaturales entitates sunt univocæ, et formales participationes esse divini; sed esse divinum ad nullum pertinet prædicamentum; ergo neque univoca ejus participatio.

LIV. Confirmatur, quia enti naturali et supernaturali nihil potest dari univocum; ergo neque idem

assignari potest prædicamentum et genus. Consequentia patet, quia omnia quæ conveniunt prædicamento, conveniunt genere; ergo univoco, quia non est aliquid genus, nisi respectu eorum quæ univoco conveniunt. Antecedens probatur, nam major differentia est inter naturalem et supernaturalem entitatem, quam inter quantitatem et qualitatem, aut substantiam, si quidem quod est supernaturale, est ordinis divini et increati, secundum, quod supernaturale est; ergo magis excedit quamlibet rem ordinis creati, et non divini, quam duæ res ejusdem ordinis creati, quamvis sint diversorum prædicamentorum, sicut ordo divinus excedit ordinem creatum analogica proportione; unde et inter species, quas Aristoteles numeravit in prædicamento qualitatis, non videtur habere locum gratia, et entitates supernaturales.

LV. Respondetur tamen negando consequentiam. Ut enim determinat S. Thomas 1-2, quæst. cx, art. ii, et in ii, dist. xxvi, art. ii gratia eo ipso quod aliquid creatum est, oportet quod sit de genere accidentium, quia licet sit formalis participatio Dei, non tamen est ipse Deus per essentiam, et ita non repugnat quod sit in prædicamento, in quo ponitur omne quod creatum et limitatum est. Non enim repugnat, quod aliquid in ratione entis et accidentis sit in uno prædicamento, et secundum formalem aliquam participationem ad illud non pertineat, sed ad aliud, sicut conceptus et species lapidis formaliter et participative sunt lapis, entitative autem sunt accidentia, sic gratia secundum formalem participationem est quid divinum, entitative autem est quid creatum, unde oportet quod sit aliquid ex prædicamentis. Et cum non sit substantia (quia alias daretur substantia supernaturalis) nec